

29  
JEHOVAH AUXILIANTE  
EX CONSENSU AMPLIISS. SENAT. PHILOS.  
IN REGIO FENNORUM LYCÆO  
DISSERTATIONEN PHILOLOGICO BIBLICAM

DE  
MEDIATORE

NON

UNIUS

GALAT. CAP. III. COM XX.

SUB UMBONE

LAURENTII O.

LEFREN,

Ling. Orient. & Græcæ PROFESS. Reg. & Ordin.

NEC NON

FAC. PHIL. H. T. DECANI MAXIME SPECTAB.

PRO GRADU MAGISTERII

*Benignæ Eruditorum Disquisitioni offert*

JOHANNES ENLUND,

Aboæ-Fenno.

IN AUDITORIO SUPERIORI DIE V JUNI

ANNI MDCCLXXVIII.

*Loco Horis ante meridiem consuētis.*

---

ABO Æ, Impressit Job. Christoph. Frenckell,  
Reg Acad. Typogr.

*Dann. Consist. Not. Chytrid*

S:æ R:æ M:is  
MAGNÆ FIDEI VIRO  
REVERENDISSMO PATRI AC DOMINO,

D: NO JACOBO  
HAARTMAN,

Inclitæ Diceceſeos Aboëniſis EPISCOPO  
Eminentiffimo,

Regiæ ibidem Academiæ PRO-CANCELLARIO  
Magnificentiffimo,

Summe Venerandi Conſiſtorii Eccleſiaſtici PRÆſIDI  
Graviſſimo,

Scholarumque per Diceceſin EPHORO  
Vigilantiſſimo,

MÆCENATI MAXIMO.

SACRUM

*VIRO*  
CONSULTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO  
D: NO CAROLO G. LOFFMAN,  
ASSESSORI, nec non ad Legionem Pedestrem Aboënsē  
JUDICI CASTRENSI dexterrimo  
FAUTORI OPTIMO,

*VIRO*  
SUMME REVERENDO ATQUE AMPLISSIMO,  
D: NO PETRO KALM,  
S. S. Theol. DOCTORI Oecon. PROFESSORI Reg. &  
Ordin. Soc. Reg. Ord. Waf. Reg. Acad. Scient.  
Holm. & Societ. Litt. Upsal. MEMCRO.  
MÆCENATI OPTIMO.

*VIRO*  
SUMME REVERENDO ATQUE AMPLISSIMO  
D: NO JACOBO GADOLIN,  
S. S. DOCTORI & PROFESSORI Reg. Ord. Eccl. Fenn.  
Aboëns. PASTORI & Reg. Acad. scient. Svec.  
MEMBRO  
MÆCENATI OPTIMO.

*Hanc qualemcumque opellam in Tesseram perpetuae ve-  
nerationis una cum sinceris votis pro vestra vestrorumque  
perenni felicitate, VOBIS*

MÆCENATES OPTIMI  
dat, dicat, dedit

Cultor Devotissimus.  
JOHANNES ENLUND.

VIRO

*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo*

D:no Mag. GABRIELI VELONIO,  
Acad. ad Auram Docenti Dexterrimo, nec non Chor.  
Prim. atque Past. Vicar. Eccl. Fenn. Cath.,  
Aboëns. Vigilantissimo,

EVERGETÆ ÆSTUMATISSIMO,

VIRO

*Plurimum Reverendo atque Præclarissimo*

D:no Mag. ANDREÆ ENLUND,  
Chor. Eccl. Fenn. Cath. Aboëns. Vigilantissimo,  
AVUNCULI loco DILECTISSIMO.

VIRO

*Spectabili atque Integerrimæ fidei*

D:no ERICO JOH. ALLEN,  
Præfecto Tabellarii atque Inspectori Reg. Ab. adcuratissimo  
FAUTORI HONORATISSIMO.

*Hæc levi penicillo elaboratas pagellas, ob innumera  
in se collata beneficia, dicatas vult & debet*

NOMINUM VESTRORUM.

*Cultor humillimus & observantissimus*

JOHANNES ENLUND,



§. I.

**V**erba Sancti Pauli: *ὁ δὲ μεσίτης ἐνὸς ἑνὸς ἔστιν, mediator vero unius non est.* quæ Epistolæ ad Galatas Cap. III. Com. XX. occurrunt, quamvis *seorsim spectata* adeo facilia intellectu adpareant, ut nemo hominum de mente eorum dubitare posse videatur; Simul vero ac *ad ipsum adtendatur nexum*, quem cum antecedentibus & consequentibus habent, tantum prodant difficultatis, ut inter cruces interpretum merito referri debeant. Sive enim ad *subjectum*, sive ad *predicatum* propositionis, quam constituunt, animum adverteris, aqua tibi hæreat, necesse est, donec ipsum argumentandi modum, quo Apostolus hic utitur subtilissimo, detexeris, quasi cultello quodam anatomico dissectis singulis membris, ex quibus nervosa valdeque concisa Ipsius oratio constat. Quid *μεσίτης* hic significet, id parum habet difficultatis, utrum vero Apostolus hoc nomine MOSEN, an vero IPSUM SALVATOREM intellectum voluerit, id multo difficilius determinatu est. In diversas certe sententias de hac quæstione abeunt interpretes, ne doctissimis quidem eodem modo

ad eam respondentibus. Quidquid vero sit de *Sub-  
jecto*, tot certe de *predicato* dissentientes invenies o-  
piniones, ut huc fere adplicare possis tritum illud :  
*quot capita, tot sensus*. Hic igitur locus nobis visus  
est idoneus, ex quo materiam Dissertationis Gradu-  
alis defumeremus. Hanc igitur his pagellis Tibi,  
Lector benivole, non ut volumus, sed ut potui-  
mus, elaboratam sistimus. Neque enim, quod in-  
genue fatemur, ii sumus, ex quibus tam difficilis  
Problematis perfecta penitusque absoluta expectari  
possit solutio. Interea quantum valuimus, tantum  
præstitimus, quod ut benigne interpreteris, Te eni-  
xe precamur, in sinu nobis gratulaturi, si Tibi hoc  
nostro tentamine occasionem meliora adferendi  
præbere potuerimus.

§. II.

Quum ad verum Scripturæ sensum dato in lo-  
co inveniendum & exponendum nihil tam condu-  
cat, quam attenta *consideratio scopi*, ad quem verba  
loquentis vel scribentis collineant, prima cura no-  
stra in eo versari debet, ut hunc rite investigare  
possimus. *scopus* igitur *generalis* totius Epistolæ Pau-  
li ad Galatas huc redit, ut iis persvadeat, nihil  
cogitari posse nec dementius, nec periculosius, quam,  
*deserto efficacissimo Evangelio Christi, ad egena Statuta  
Mosaica, quibus nuncium felicissime miserant, postlimi-  
nio redire*. Hanc propositionem quintuplici argu-  
mentorum robore, confidentia prorsus Apostolica utens,  
munire satagit. *Primum* horum argumentorum,  
quod Cap. I. Com. VI. X. continetur, huc redit,  
Pauli,

Paulinam Evangelii doctrinam, quam inde a prima sui conversione adnunciaverat, exacte convenire cum doctrina Evangelica reliquorum Apostolorum; quamvis eam nec cum ipsis, nec cum ullo alio homine Christiano contulisset. *Secundum*, quod Com. II-XV. proponitur, eo valet, ut Galatæ tanto plus fidei doctrinæ Paulinæ adhibeant quod ipsi Petro, salva doctrinæ convenientia, ideo palam restiterat, quod hic aliquid hypocriseos in praxi ostendebat. *Tertium*, quod Com. XVI-XXI. inculcatur, ostendit, justitiam fidei in Christum omnia opera legis superare, immo ea profus abolere. *Quartum*, quod toto capite tertio absolvitur, bona opera nihilum quidem ad nostri justificationem coram Deo conferre, id quod quadrifariam probat: 1:to quia ipsi Galatæ non per legem, sed per fidem partim singularem operationem, partim eximia dona Spiritus Sancti experti erant, Com. II-V. 2:do quia Abrahamus longe etiam ante legis promulgationem fide justificatus est, Com. VI-VII. 3:tio quia legi innexa fuit maledictio, quæ per Christum sublata est. Res deinde simili illustratur, & ad objectiones, quæ adferri posse videbantur, respondetur. *Quintum* denique argumentum, quod à Cap. IV. com. I. ad Cap. V. com. XII. extenditur, absurdum esse demonstrat, eos, qui in libertatem filiorum DEI vindicati erant, duro se iugo servitutis legalis de novo submittere velle.

§. III.

Ex singulis his argumentis, quæ scopo genera-

li inserviunt, pronum jam foret *scopos speciales* eruere, nisi hoc ratio instituti prohiberet. Quod vero ad quartum argumentum seorsim adinet, cujus nostra materia particula est, ex eo *scopum specialem* hoc pluris refert exquirere, quod plurimum lucis opellæ nostræ exinde polliceri possamus. Hunc constituit hæc propositio: *Lex promissioni nihil omnino derogat.* En vero rationes, quibus hanc thesin confirmat! Primum quidem hoc ideo fieri non posse, docet, quod *promissio ab ipso Deo immediate profecta est, com. XVIII.* *Lex vero tantum mediate, opera nimirum Angelorum com. XIX.* Deinde idem ex eo sequi monet, quod *promissio data est ipsi Abrahamo patri & stirpi Israëlitarum, lex vero tradita Moysi eorundem fratri & interpreti.* Præterea *Promissio cum Lege quadringentis triginta annis antiquior sit, inde subsunt, hanc illa tanto sequiorem esse.* Tandem vero quod maximum trahit momentum, *ideo legi præferendam arguit promissionem, quod vita, quam promissio effatim dat, a Lege frustra speratur.* Quum vero lex, quatenus a Deo data est, certum aliquem scopum necessario habere debuerit, objectionem inde prævisam occupat Apostolus, hunc scopum non eo spectare, docens, ut promissionem, longe & antiquiorem & præstantiorem, tollat, sed ut huic utcunque subserviat, non quidem in perpetuum, sed ad certum duntaxat terminum temporis, quem verba: *ἀρχὴ ἡ ἐλθὴν τὸ σπέρμα* com. XIX. indicant. Sed quodnam, inquis, erat officium Legis? Ad hanc quæstionem sic ipse respondet Paulus: *τῶν παραβάσεων χάριν προσέτιθη,*  
*trans-*



*transgressionum gratia adjecta est.* His verbis indigitat *typicam expiationem* peccatorum, quæ interim territas solaretur conscientias, dum *perfectum* expectabatur *sacrificium*, quo purgari & tranquillari penitus possent. Hic horum verborum verus est sensus, idque probat res ipsa, quatenus non *de aliis legibus* hic agitur quæstio, quam *de ceremonialibus*. Mirari igitur convenit, qui fieri possit, ut hæc etiam verba tam varie exponant interpretes, quorum alii *offensionem*, alii *redargutionem*, alii *coercitionem* peccatorum intelligunt, non deficientibus, qui *multiplicationem* indigitari putant. Sed hoc quasi in transcurso.

§. IV.

His pro ratione instituti breviter præmissis, propius jam ad argumentum nobis propositum accedere licet. Hoc integram propositionem logicam continere docuimus. Hinc de *Subjecto* & *prædicato* ejusdem seorsim agere convenit. Quod ad illud attinet, quæri solet, *utrum MOSES, an vero ipse SALVATOR in eo querendus sit?* Sunt qui hunc, sunt qui illum hic sibi invenisse videntur. Ab utraque igitur parte veritas pugnet, paucis dispiciendum. Quatenus Paulus, uti modo vidimus, pro scopo habet demonstrare, *antiquum fœdus Evangelicum, quod Deus immediate pepigerat cum ABRAHAMO patre credentium, longe præstantius esse recentiori fœdere legali, quod, angelis ministris, MOSI fidelium fratri tradidit, eatenus MOSEN nomine usitans hoc loco indigitari, certum est.*

Quoniam vero non desunt qui vocem ἐν χριστῷ responde-

spondere autumant voci Hebræorum כִּי, eamque propter reddunt, indeque inferunt, *Ipsum Christum hoc nomine significari*, quid de hac hypothese statuendum sit, paucis quoque lineis ostendisse juvabit. Si evolvere velimus Concordantias Particularum Hebræo-Chaldaicarum Noldii, tria omnino loca Scripturæ inveniemus, in quibus is particulam כִּי propter reddit, sed si rem penitus introspeciamus, iis etiam locis per reddi posse inveniemus, non obstante illa subtilitate, quam is in observatione num. 865 adducit. Id quod exempla tum in hac, tum in sequentibus duabus observationibus adducta satis evincunt. Quum vero nulla necessitas nos ad infeliciores vocum significationes confugere cogat, rectius omnino facimus, si hic in propria & nativa maneamus, eoque magis quod ipsa locutio: διατίτην π διὰ τὸν ἐν χερσὶ τοῦ & que vere atque apte reddi potest: *constitutionem aliquam in manum alicujus tradere per aliquem*, præsertim eum vel pueris notum sit, quod ἐν & εἰς idem sæpe significant, quemadmodum כִּי Hebræorum nunc ἐν nunc εἰς valet. Quum itaque vox μεσίτης com. XIX MOSEN indigiter, eundem etiam com. XX. eadem indigiter, certum est. Cum vero posteriori loco definite occurrat ὁ μεσίτης recte verti potest: *hic mediator*, quod infra verbo ostendendum veniet.

§. V.

Jam igitur id nobis agendum restat, ut sensum formulæ, quæ prædicatum constituit: εἷς ἐνός ἐστίν, non unius est, rite evolutum demus. Plerique statuunt

tuunt, Apostolum his verbis docere, ad notionem mediatoris pertinere, ut una plures concipiantur partes, inter quas is pacem conciliet. Sed cum hoc adeo notum sit, ut ad id discendum Magistro Apostolo opus non sit, PAULUM hoc loco potius Theologum, quam Grammaticum egisse statuimus, præsertim cum scopus & nexus orationis longe alium formulæ sensum postulet. Quæstio enim heic est non de argumento Grammatico, sed de controversia vere Theologica, utrum nimirum Lex MOSI tradita, quæ omnibus maledictionem minatur, an vero promissio ABRAHAMO data, quæ omnibus benedictionem proponit, a turbatis Galatis repudianda sit? Prius ait Apostolus, hic usus medio termino: quia hic mediator non est unius. Hæc igitur verba necessario important talem qualitatem MOSIS, quæ ad pretium Legis minuendum pertineat. Quæ hic concipi potest alia, quam qua MOSES ineptus erat, qui utriusque dissidentium parti satisfacere posset? Pax concilianda erat inter Deum læsum & homines lædentes, ad hoc negotium perficiendum duos mediatores adhibitos fuisse, docet Scriptura, nimirum MOSEN  $\psi\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\omega\nu$  & CHRISTUM  $\theta\rho\epsilon\iota\sigma\theta\omega\pi\omega\nu$ ; Jam vero, uti nuper monuimus, de eo agitabatur quæstio, uter horum alteri cedere deberet? Apostolus  $\theta\rho\epsilon\alpha\theta\rho\omega\pi\omega\varsigma$ , Pseudopostoli  $\psi\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\omega\varsigma$  partes tuebantur. Quod MOSES Deo læso sufficientem satisfactionem præstare nequibat, res in confesso est. Atqui hoc urget Paulus, quando eum unius dissidentium mediatorem fuisse, negat. Quisnam vero ille unius esset, id haud obscure docet nex

xus orationis. Mox enim subjungit: *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν*, ipse vero Deus ille unus est. Sic enim apte cohæret tota series orationis Apostolica, quæ, si vulgares loci expositiones sequaris, nescio quos hiatus habet. Si Apostolus his verbis inculcare voluisset Galatis, *non nisi unum esse Deum*, rem fecisset, quæ aut alienum, aut nullum habuisset scopum. Qui Cap. I. com. VII. Galatas turbaverant, sincerum Christi Evangelium pervertere conati, ii *non pagani* erant, qui paganismum, *sed Judæi* qui Judaismum illis persuadere studebant. Jam vero *Articulus de UNO DEO dogma stantis & cadentis Judaismi est*, quippe quod tanta diligentia inculcat MOSES, ut huic uni *pœnam capitis* proponat. Et si ad id respicias tempus, quo CHRISTUS Ejusque Apostoli inter Judæos docebant, adeo desierat insanus ille *pruritus Deos alienos sectandi*, ut jam *doctrina de uno Deo sensum quasi communem* gentis constitueret. Quorsum igitur spectaret allata PAULI formula: *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστίν*, si ea nihil aliud, quam, *unum esse Deum*, diceret. Admodum igitur probabile est, PAULUM hic docere voluisse, MOSEN alterius partis mediatorem non fuisse, & illam alteram partem esse Deum.

#### §. VI.

Hanc igitur sententiam adhuc firmiter probare, & si fieri potest, ad summum probabilitatis gradum evehere conabimur. Duo hic seorsim demonstranda venient, eam scilicet tum allatis verbis, tum rei ipsi convenire. Quod ad verba adtinet cardo quæstionis in voce *εἷς* vertitur. Hanc *unius* signi-

care

care, cuique tironi notum est, sed simul tamen *alterum* denotare, ex usu bonorum Lingvæ Græcæ Scriptorum constat. Sic Dioscorides εἰς αἰθ' ἐνός ποιῶν scripsit, quod *alter alterius loco cedens* redditur apud STEPHANUM in Thesauro, & BASILIUS: καὶ ὑπὸ τῆς μιᾶς ἤσθηται, *apud alteri haret*, interprete BUDÆO in Commentariis Lingvæ Græcæ. Hæc scopo nostro adduxisse sufficiat, cum vel ex iis constare possit, nihil in hac voce exponenda admissum esse, quod usui lingvæ repugnet. De nomine *μειστής* vix opus est, ut quidquam moneamus, cum quid involvat, cuique constare arbitremur. Interea, ne quid perperam omisisse videamur, huius quoque notionem uno alterove exemplo exposuisse non pigebit. Si Lexica evolveris, *μειστήν* interpretem, *internuncium, conciliatorem & intercessorem* passim reddi, inventies. Sed ipsos audiamus Auctores. Apud Polybium est: ἐβόλετο τὰς Ῥοδίους παροξύναι μειστής ἀποδείξας, *volebat Rhodios instigando iis uti conciliatoribus*. Excerpt. Lagat. I. LXXX. p. m. 1257. Idem eodem sensu verbo *μειστήσειν* utitur, dum scribit: ἤξιεν τὴν Τελέαν μειστήσειν τὴν διάλυσιν, *Institit rogare Teleam, ut pacis interpret esse vellet*. Hist. Libr. X. Cap. XXXII. Pari modo de fœderis interprete usurpatur idem verbum apud DIODORUM S. CULUM Bibl. Hist. XIX. p. 712. Nomine vero *μειστής* utitur JOSEPHUS de Deo, cum Jurantes eum testem & vindicem promissorum faciunt. Antiq. Jud. L. IV. C. VI. Quod vero supra diximus *μειστής* idem valere quod οὐτ' *μειστής*, id hoc loco usui vocis convenire ostenderemus, ni-

si brevitati esset studendum. Interea si quis dubitet, eum remittimus ad MATTH. DEVARII Aureum Librum de Græcæ Lingvæ Particulis Cap. XVI. p. m. 238. 139 Nec hoc loco, prætereundem, nostræ sententiæ objici posse, defectum Articuli a ad nomen *is*, quum si ea vera esset, PAULUS scribere non debuisset: *o de Jeds, eis isw*, sed: *o de Jacs, o eis isw*. Sed parata est responsio, non desiderari exempla, quæ demonstrant, non plane necessarium esse, ut articulus hujusmodi in circumstantiis adjiciatur. Ne hoc gratis dixisse videamur, provocare liceat ad, Joh. XVII. XVII ubi *o logos, o ois a'ly'θeia isw* idem dicit, quod *o logos, o ois η'αληθεια isw*. Hæc de verbis monuisse sufficiat. Nunc quid res ipsa aut requirat, aut admittat, videndum.

#### §. VII.

Quum vero MOSES & *leges Dei* ad populum, & *preces populi* ad Deum detulerit, veram mediatoris personam gessisse videtur. Hoc vero cum nostræ sententiæ e diametro repugnet, ea ficulneo plane fundamento niti videbitur. Sed in promptu est quod respondeamus. Nomen *μεσiτης* hoc loco non nudum significat internumcium, sed talem pacis conciliatorem, qualem ratio utriusque partis dissidentis postulat. Jam vero DEUS, ut *pars lesa*, per æternam suam justitiam, sufficientem postulabat satisfactionem, quam MOSES nullo modo præstare poterat. Quidquid enim is præstitit, id fere omne ad sanguinem taurorum, hircorum & id genus aliorum Sacrificiorum redibat. Quis vero dixerit, aut hoc pretio redimi, aut hoc lixivio ab-

lui

sui posse peccata, sine quorum tamen perfecta expia-  
 tione nemo homo pace cum Deo frui potest? Solus igitur  
 Christus veri nominis *agnus* est. Ipse enim solus  
 sacrificium vere expiatorium prestare potuit. Quæ lege  
 Moſis præcepta fuerunt lustrationes, expiationes &  
 id genus alia peccatorum purificationes, eæ nihil  
 aliud erant, quam vacuæ umbræ, quæ solam ve-  
 rani Salvatoris satisfactionem præfigurabant. Hinc  
 quamvis JOHANNES, legem per MOSEN datam, a-  
 gnoscat, veram tamen gratiam per eum non venisse,  
 sed per Jesum Christum, adfirmat. Cap. I Com.  
 XVII. quippe qua ipse plenus erat. com. XIV.  
 Et quamvis tum de MOSE, tum de lege alia atque  
 alia ferri debeat sententia, prout hæc vel secundum  
 nudam litteram, vel secundum verum sensum conside-  
 retur, in controversiis tamen, quæ Paulo cum Ex,  
 Judæis sui temporis intercedebant, locum non habet  
 mitior sententia, quandoquidem hi plerumque, ex-  
 terna littera contenti, omnia ex opere operato aestima-  
 bant, neglecto, immo contempto sensu legis recondito, in  
 quo Spiritus vivificus inerat. Quid? quod eodem vi-  
 tio laborarint Judæi omni tempore, paucis excep-  
 ptis, quibus aperti erant oculi, ut mysteria legis cer-  
 nere possent: Psalm CXIX 18. Hinc CHRISTUS patrem  
 suum cælestem alloquens, omnia Sacrificiorum genera i-  
 PSI displicuisse, se autem venturum esse, ut tale præ-  
 staret sacrificium, quale adhuc præstitum non fuerat,  
 Deo ex omni parte ratum & gratum Pf. XL 8 Eo-  
 dem igitur jure, quo hoc loco Sacrificiis omnibus  
 Leviticis abjudicatur facultas placendi Deo, ipsi  
 MO-

MOSI titulum mediatoris, respectu alterius paciscen-  
 tium partis, quæ DEUS erat, abjudicare potuit.  
 Quid? quod res ipsa hoc non tam postulare, quam  
 flagitare videatur. Finge potentem aliquem Prin-  
 cipem, cui cum civibus rebellibus pax sit ineunda,  
 idque interventu alicujus interpretis, seu mediato-  
 ris, num huic negotio idoneum putas miserrimum  
 quendam mendicum, præsertim si idem e numero  
 ipsorum rebellium sit? Ego certe non putaverim.  
 Quid vero aliud est MOSES cum omni sua gloria,  
 præstantia & excellentia, quam miserrimus mendi-  
 cus, si cum DEO omnipotenti conferatur? Quid?  
 quod ob delictum rebellionis ante diem  
 coactus fuerit vitam relinquere.

S. D. G.

